

miserat , atque illum ad præfecturam Veronensem rever-
ti jussierat , existimare se se , inquit , e republica non esse , tan-
tam rem eo tempore aggredi . Primum , quod credibile non es-
set Germanorum exercitum , quem ipsi florentissimum paulo ante
vidissent , ita jam in ultimas Germaniæ terræ latebras se ab-
didisse , ut non modo revocari atque restitui , sed etiam adau-
geri paucis diebus non possit in tam promptis ad arma capienda
populis , tantoque in periculo municipium ad gentes Italas con-
tinendas opportunissimum amittendi . Deinde , quod si tum rei-
publicæ ad hostem repellendum copiarum satis fuit : quanquam
quis eum repulit ? sua ipse sponte se recepit : sed sit omnino re-
pulsus : ad inferendum tamen bellum , atque in hostium fines
irrumpendum , obsidionesque ducendas , id ipsum non sufficien-
rum , præsertim cum existimandum sit omnem Germaniam , ne
tantum dedecus admittatur , eo conventuram , viresque suas
in communem utilitatem explicaturam . Postremo , quod si of-
fensum in aliquo sit , non esset receptui locus circumventis ab
hoste undique mediis in Alpium jugis : tum itinerum angustias
esse pertimescendas , quas evadere vix pacati possent . Præstare
autem reipublicæ bellum quoquo modo confecisse , dum oneribus
extraordinariis finis imponatur , quam spe melioris victoriæ
ipsam periclitari , civesque conflictari tributorum conferendo-
rum quotidie causa . Defessam civitatem bello Ferrarensi ,
otium inglorium laboribus paulo etiam honestioribus , certoque
cum fructu præponere , nedum ambiguis & periculosis præfe-
rat . Hæc mea quidem , inquit , est sententia , qui fortasse
vel meo vitio , vel etiam senectutis , omnia timeo : vos consu-
lite , & , quod optimum factu est , id sequamur .

Tum Marcellus , facto a collega silentio , in hunc est mo-
dum loquutus : Nihil sibi dubitationis dari , si ea ita essent ,
quemadmodum Pisanus dixisset , quin sit ab invadendis ho-
stium finibus Tridentique oppugnatione abstinentum . quæ enim
ejus regionis pars , quod municipium tanti esset , ut cum ejus-
modi conflatione belli , totiusque Germaniæ irritatione , con-
sensuque comparetur ? Verum habere se rem suo quidem judicio
longe secus . Nam neque Germanorum copias sua se sponte dis-
sipavisse : sed cum rei frumentariae inopia coactas , tum stipen-
dio